



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cvrsvs Theologici ...**

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et  
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -  
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum  
Scholasticis habent connexionem, declarantur

**Carleton, Thomas Compton**

**Leodii, 1659**

Dispytatio XIII. De principiis visionis Dei, maximè de intellectu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13718**



porum gloriosorum, quamvis eximia pulchritudinis, & specie fortè à nostris distincta, non est tamen cur non sint in substantiâ naturales. Resp. secundò, licet dicere qualitates illas esse supernaturales, adhuc optimè salvari conceptum supernaturalitatis in connexionem cum visione beatificâ, aut unione Hypostaticâ; ad visionem enim tanquam proprietates ab illâ promanantes, referuntur, & ad plenum & perfectum statum beatitudinis ordinantur.

IV. *Characteres sacramentalis quo ritus sunt supernaturales.*

Objicies quartò: Characteres sacramentalis sunt supernaturales; hi tamen non spectant ad immediatam conjunctionem cum Deo, nec peculiarem cum visione beatificâ, aut unione Hypostaticâ, habent connexionem. Respondetur, Characteres Baptismi & Confirmationis esse signa quædam professionis Fidei, & Religionis Christianæ; Fides verò ordinatur ad visionem beatificam velut *Lucerna lucens in caliginoso loco*, quæque clarè illustrante justitiæ sole, extinguitur. Idem de Characterè Ordinis, qui ad Eucharistiam peculiariter pertinet; hæc namque, ut cibus materialis corpus, ita animam gratiâ & donis spiritualibus pascit ac reficit.

V. *Modus quo existit Christus definitivè in Eucharistia, est in substantiâ naturalis.*

Objicies quintò: Modus seu ubicatio quæ Christi corpus definitivè existit in Eucharistia, est supernaturalis: idem etiam est de actione, quæ accidentia Eucharistica influxu creativo conservantur sine subjecto, tamen nullam cum visione beatificâ, aut unione Hypostaticâ habet connexionem. Respondetur: horum nihil esse in substantiâ supernaturali, sed ad summum præternaturale, ob rationem in objectione positam.

VI. *An visio intuitiva, & amor gratiæ sit supernaturalis.*

Objicies sextò: Amor & visio gratiæ, virtutumque insularum sunt supernaturales, quæ tamen cum Deo ut est in se, seu clarè viso, aut physicè naturæ alicui unito, non connectuntur. Respondetur, non quidem connecti cum Deo ut in se est immediatè, sed mediatè, quatenus scilicet directè cum gratiâ & donis hæc connectuntur, quæ ad Deum clarè visum, ut jam sæpius dictum est, referuntur, & ut media ad visionis adeptionem ordinantur.

VII. *Memoria de gratiâ amissâ est naturalis.*

Objicies septimò: Ergo & memoria, quam nunc demones habent de gratiâ amissâ, erit supernaturalis. Negatur tamen consequentia: Deus quippe damnatis concursum supernaturalem ad nullos actus præstat, cum sint extra statum merendi, &

in termino: actus enim omnes supernaturales ad visionem Dei, & beatitudinis consecutionem, mediatè vel immediatè ordinantur; beatitudo autem demonibus est impossibilis.

VIII.

*Relatio creatura ad Deum est naturalis.*

Objicies octavò: Creaturæ omnes ad Deum essentialiter referuntur, utpote à quo, & tanquam à principio effectivo dependent, & ad eundem ut ad finem ordinantur: cum ergo immediatè cum Deo connectantur, erunt; juxta hæctenus à nobis posita principia, supernaturales. Resp. Non dixisse me, quamcunque immediatam cum Deo connexionem inferre supernaturalitatem, sed illam solam, quæ est Dei possessio, quod visioni clarè, & unioni Hypostaticæ peculiariter cõpetere jam ostensum est.

IX.

*Non omnis amor Dei est supernaturalis.*

Objicies nonò: Hinc sequitur, amorem Dei naturalem fore supernaturalem, utpote qui nos immediatè Deo conjungit. Respondetur, non qualemcunque, etiam immediatam cum Deo conjunctionem esse supernaturalem, sed eam solam quæ est plena & perfectâ Dei possessio; qualis sola est beatificâ visio, & unio Hypostatica. Amor verò Dei naturalis, est valde imperfecta ac diminuta Dei possessio, quæ scilicet stat cum aversione à Deo: si quis enim in peccato habituali existat, quantumvis Deum amet naturaliter; nunquam peccatum illud per hunc amorem excutiet.

X.

*Sine Fidei, Spei, & Charitatis ex objecto supernaturalis.*

Objicies decimò: Hinc saltem sequi Fidem, Spem, & Charitatem non esse supernaturales ex vi objecti, & quæ Theologicas: quod tamen nullo modo videtur admittendum. Respondetur, Actus Fidei, Spei, & Charitatis, si de eodem objecto formali (quod multi putant) elici possint actus naturales, non esse supernaturales præcisè ex vi objecti. Erunt tamen hi actus supernaturales quæ Theologici; actum enim esse Theologicum, duo involvit, Deum scilicet habere pro objecto immediato, & simul disponere ad visionem: horum autem utrumque nulli actui cõpetit, quin sit supernaturalis.

XI.

*Actus acquisiti quò pacto disponant ad gloriam.*

Objicies undecimò: Actus naturales virtutum moralium acquiritarum disponere ad visionem beatificam, utpote qui sunt meritorii gloriæ. Respondetur, si disponant ad visionem beatificam, (quod tamen multi negant) non id vi suâ præstare, sed quatenus gratiæ adjunguntur, & ab illa peculiarem dignitatem & splendorem accipiunt.

## DISPUTATIO DECIMA-TERTIA.

*De Principiis visionis Dei, maxime de intellectu.*

**T**RIA ad claram Dei visionem eliciendam requiruntur, Potentia, seu intellectus, Lumen, & Species seu Objectum; de quibus ordine suo inquirendum, & de cujusque naturâ, virtute, & concurrendi modo disputandum. Ac primò de Intellectu.

### SECTIO PRIMA.

*An, & quomodo intellectus creatus ad Dei visionem concurrat.*

I. *Intellectus creatus ad visionem physicè concurrens.*

**I**NTELLECTUM creatum ad visionem Dei eliciendam physicè concurrere, & consequenter habere partialem virtutem illius productivam, indubitatum videtur. Ratio est: nam visio Dei est verè & propriè intellectio, & inten-

tionalis in essentiam ejus & perfectiones tendentiæ; ergo procedere debet ab intellectu, ergo intellectus habet vim partialem illius effectivam: Ab actu enim ad potentiam valet consequentia. Ita Suarez, Tomo primo in tertia parte, disp. trigesima-prima, sectione sextâ. Vasquez hic, disp. 43. cap. quinto. Salas, Tractatu secundo, disputatione quinta, sectione quinta. Molina hic, Disputatione prima. Erice disput. quadragesima-quinta, capite tertio, estque communis hodie Theologorum sententia.

Confir-



## II.

*Anima verè videt Deum, ergo per se inadaquandè efficit visionem.*

Confirmatur: Anima verè videt Deum. & ut definit Concilium Florentinum in literis unionis, ad claram Dei visionem elevatur, ergo per se, & prædicata sua intrinseca ad visionem & efficiendam, & in se recipiendam partialiter concurrunt. partialiter, inquam, visio enim, cum sit verè, & propriè in entitate supernaturalis, ab intellectu adæquatè elici nequit, sed requirit comprincipium aliquod supernaturale, à quo elevetur, parquè huic effectui ac proportionatus reddatur.

## III.

*Varia in visione formalitates varis causas requirunt.*

Confirmatur secundò: sicut, visio ob formalitatem supernaturalitatis requirit principium supernaturale, ita ob formalitatem vitalitatis requirit principium vitale, & utraque causa ad hunc effectum indivisibiliter in suo quæque genere concurrunt, junctisque, ut ita dicam, viribus in eum influit. Nec intelligi ullo modo potest quo pacto intellectus vel anima per meram non repugnantiam physicè & vitaliter ad visionem concurrat. Plura hæc de re dicentur Disputatione sequente, sectione secunda.

## IV.

*Anima, etià dum non elevatur, habet virtutem partialem eliciendi visionem.*

Utrum autem intellectus creatus virtutem habeat eliciendi visionem, etiam dum non actu in se habet lumen gloriæ, quæstio est de nomine. Mihi probabilius videtur habere, sicque animam cuiuscumque viatoris jam habere virtutem ex parte suâ producendi visionem beatificam. Ratio est, quia virtus hæc partialis producendi visionem, non distinguitur ab anima, vel intellectu; ergo dum se semper retinent, hanc etiam virtutem retineant necesse est. Confirmatur: lumen, etiam conservatum extra animam, habet virtutem partialem producendi visionem, & tamen non magis producere eam potest sine intellectu, quam intellectus sine lumine: ergo & intellectus, lumine non informatus, habet virtutem partialem visionis productricem.

## V.

*Virtus in intellectu producendi visionem est tantum incompleta sine lumine.*

Dico itaque, licet in intellectu non sit virtus completa producendi visionem sine lumine, sicut nec in lumine sine intellectu, esse tamen in utroque partialem, & incompletam virtutem, quæ in singulis, alterius accessione perficitur, nec minus, ut dixi, ad vitalitatem visionis producendam indiget lumen intellectu, quam intellectus lumine ad producendam illius supernaturalitatem. Et eodem modo negare quis posset, oculum corporeum, quando actu non habet speciem coloris alicujus, aut lucis; negare, inquam, posset eum habere virtutem partialem producendi visionem materialem, cum non magis elicere visionem illam queat sine specie, quam intellectus visionem beatificam sine lumine gloriæ.

## VI.

*Cur visio non fit à solo Deo, sicut habitus infusus.*

Dices: Habitus infusus, ob summam, quam in se continent, excellentiam, solum Deum causam sui adæquatam postulant; cum ergo beatifica visio habitibus infusis in perfectione multis gradibus antecellat, petet à solo Deo procedere, vel saltem à principio aliquo supernaturali, loco Dei concurrente. Respondetur negando consequentiam: disparitas est: visio enim est operatio vitalis, ac proinde petit, ut causam sui principium vitale vitaliter operans, & ab intrinseco illam producat.

## VII.

*Quo pacto visio Dei fit pramium.*

Dices secundò: Visio est pramium; natura autem pramii est, ut à solo conferente procedat, ab illo verò cui confertur, merè recipiatur. Respondetur: cum visio per auxilium speciale à Deo colatum, summæque facilitate, inò necessariò eliciatur, perinde se habere, ac si à solo pramiante procederet.

## SECTIO SECUNDA.

*Alia quedam de intellectu, prout est principium visionis beatificæ.*

Quæres primò, utrum anima respectu visionis Dei sit causa principalis, an instrumentalis? P. Suarez hic, lib. 2. c. 10. & alibi ait, animam respectu visionis esse causam instrumentalem, quatenus nimirum à Deo ad operandum supra suas vires elevatur. Alii, ut Valquez, hic, d. 43. Erice, d. 46. c. 2. & alii, dicunt esse causam principalem, quia scilicet imprimis habet veram virtutem visionis productivam, quamque visio per se requirit: denique est entitas perfectior effectu; hæc autem, inquit, est notio cause principalis. Utraque sententia est probabilis, & facile defendi potest, magis tamen in hanc posteriorem propendeo, utpote conformiorem naturæ cause principalis, quam Disputatione 24. Physicæ, sect. 2. num. 5. descripsi.

Quæres secundò, an intellectus, seu anima, dicat ordinem transcendentalem ad visionem. Respondetur affirmativè: suppono enim in præsentia, quod late contra P. Oviedo & alios nonnullos probavi Disp. 5. Phys. sect. 1. & 2. dari inter res creatas ordinem transcendentalem, seu essentialiter exigentiam; quoad possibilitatem, ita ut materiâ ex gr. implicante, implicaret forma, & è contrâ, & sic de aliis.

Dico itaque, intellectum, seu animam, dicere huiusmodi respectum transcendentalem ad visionem; ita ut hæc implicante, implicaret anima. Ratio est: datur enim in animâ vera & realis potentia efficiendi unâ cum lumine, & recipiendi visionem, ergo anima per prædicata sua intrinseca, est virtus effectiva & receptiva visionis, ergo essentialiter petit visionem esse possibilem, hæc enim implicante, non haberet in se anima hanc virtutem, cum dari nequeat virtus effectiva aut receptiva alicujus impossibilis.

Confirmatur ex celebri illo loco S. Augustini de Prædest. Sanctorum cap. 5. *Posse, inquit, habere fidem, nature est hominum: habere autem fidem, gratia est fidei. Ergo juxta S. Augustinum, potentia, seu aptitudo ad fidem, gratiam, & dona supernaturalia, est hominibus intrinseca, atque adeò his implicantibus, implicaret aptitudo hæc, & potentia, seu eadem prædicata intrinseca.*

Nec obstat, quod opponunt aliqui, hinc sequi, intellectum specificari à visione; unde, inquit, ulterius sequeretur, intellectum esse supernaturalem. Sed contrâ, res omnes dicunt essentialiter ordinem ad Deum, qui ex omnibus rebus est maxime supernaturalis; hinc tamen perperam quis intulcrit, eas esse supernaturales. Respondetur itaque, nihil in hoc esse incommodi, ut scilicet aliquid naturale specificetur partialiter à re supernaturali; cum hoc aliud nihil sit, quam habere essentialiter eam connexionem.

Quæres tertio, possint in nobis esse appetitus naturalis elicitus visionis Dei? Respondetur, in eo nullam esse repugnantiam. Potest itaque homo, suppositâ saltem revelatione de visionis possibilitate, elicere actum naturalem voluntatis, quo visionem Dei appetat, non inefficaciter tantum, (hoc enim dari potest respectu alicujus impossibilis) sed etiam efficaciter,

Ratio

I. Sitne anima causa principalis visionis, an instrumentalis.

II. Dicitur ordinem transcendentalem ad visionem.

III. Ostenditur respectum hunc esse essentialiter inter animam & visionem.

IV. Probat hic respectus autem S. Augustini.

V. Intellectus specificatur inædèquandè à visione.

VI. Dari in nobis potest appetitus naturalis elicitus visionis Dei.



VII. Ratio est, nihil enim obstat quo minus aliquid supernaturale actu naturali cognoscatur, ut constat in hæretico, qui lumine fidei destitutus, varia mysteria gratiæ, quæ antea supernaturalibus, nunc naturalibus actibus cognoscit: imò & in beatitudinem seu visionem Dei supernaturalem, quam actibus huiusmodi naturalibus cognoscit, fertur actu spei naturali, & consequi desiderat, quod est actu naturali illam appetere. Addo, etiam fideles, quamvis sciant, se non nisi supernaturaliter posse beatitudinem consequi, ipso facto nihilominus, quod ex Dei benignitate media sibi ad illius adeptionem necessaria concessa esse cognoscant, posse eam appetere, & efficaciter consequi velle. Esto enim non nisi supernaturaliter eam obtinere valeant, possunt tamen actu naturali illius consecutionem intendere; sicut actu naturali potest quis statuere Sacramenta conficere, vel administrare, quamvis sint aliquid supernaturale.

VIII. Quæres quartò: utrum in anima sit appetitus innatus ad claram Dei visionem. Appetitus innatus aliud nihil est, quam potentia respiciens aliquid tanquam bonum suum. Hunc ergo appetitum in anima respectu visionis Dei dari negant Suarez disp. 30. Metaph. sect. II. num. 36. Molina hic, a. 1. disp. 2. & alii. Eum tamen animæ concedunt Scotus q. 1. Proleg. & in 4. d. 49. q. 10. Vasquez 1. 2. Disp. 22. cap. 2. Salas 1. 2. disp. 12. sect. 2. Erice prima parte, disputatione 27. num. 22. & alii.

IX. Quæstio tantum est de modo loquendi, cum de re constet, nempe & esse in animâ potentiam ad visionem Dei efficiendam, ac recipiendam, & hanc visionem esse bonum animæ, ergo absque dubio datur in anima innatus ad eam appetitus. Existimo tamen, cum visio non nisi per media, quæ naturæ vires superant, obtineri possit, aptius vocari appetitum obedientialem, quam naturalem: Quamvis namque id quod in recto dicitur, sit quid naturale, illa tamen quæ connotat in obliquo, sunt quid supernaturale.

X. Id verò hic notandum, appetitum scilicet innatum, non tantum esse ad res debitas, sed etiam in-

debitas, atque ex mera liberalitate conferendas, & quibus negatis, nulla rei, cui hic appetitus innatus, infertur violentia. Ratio est, quia appetitus innatus, ut num. 8. dixi, est potentia & propensio ad bonum suum: cum ergo plurima alicui bona esse possint, quæ non sunt debita, ad alia extenditur appetitus innatus, quam ad debita: ut in appetitu elicitio contingere videmus. Unde quamvis in animâ & Angelo sit appetitus innatus ad visionem Dei, gratiam, & alia dona supernaturalia, non tamen sequitur, hæc eis esse debita. Sicut autem, ut num. 7. ostendi, ad hoc ut quis appetitu elicitio aliquid appetat, sufficit quod illud sciat sibi quocumque modo, etiam supernaturaliter, esse possibile; idem est de appetitu innato, nec in hoc quidquam reperitur inordinati.

Hinc tamen non rectè quis intulerit, dari in animâ, vel Angelo, appetitum innatum ad unionem Hypostaticam: hæc enim cum extractionem naturæ contineat extra gradum & ordinem puræ creaturæ, & quandam insuper Divinitatis exinanitionem, non videtur prudenter appeti posse appetitu elicitio, & consequenter neque innato. Visio autem Dei ad statum beatitudinis simpliciter est necessaria; unde ad illam peculiariter dari potest, & debet appetitus.

Notandum autem, sicut materia, esto sit potentia ad omnes formas, satiatur tamen ejus appetitus per quamlibet, ita ut dum unam habet, non appetat, pro illo saltem tempore, aliam, nisi conditionatè; ita quocumque gradu visionis satiatur hic animæ appetitus, cum per quemcumque reddatur simpliciter beata, nec ad hunc effectum pluribus gradibus indigeat. Uade, si duæ animæ statuuntur, quarum altera unum tantum habeat gradum gloriæ, seu visionis, altera centum; prior, si unico illo gradu orbetur, multò gravius damnum patietur, quam secunda, etiam si nonaginta novem ab ea gradus gloriæ auferantur; si enim unus ei gradus remaneat, adhuc est simpliciter beata, habetque etiam quod ad felicissimum illum statum est necessarium, cum altera, unius illius gradus amissione à felicitate penitus excidat.

Appetitus innatus non est ad debita tantum, sed gratuita.

Est in anima appetitus innatus ad gratiam.

XI. Sitne in animâ appetitus innatus ad unionem Hypostaticam.

XII. Quolibet gradu visionis satiatur anima appetitum.

## DISPUT. DECIMA-QUARTA.

De alio visionis Dei Principio, nempe, lumine gloriæ.

### SECTIO PRIMA.

De necessitate luminis.

I. **L**UMEN gloriæ, seu Principium supernaturale ad claram visionem Dei requiri negarunt, ut supra vidimus, Begardi & Beguina; asserentes quamlibet naturam intellectualem posse suis viribus Deum videre, nec ad hoc ullo indigere supernaturali auxilio. Qui error refertur in Clementina *Ad nostrum* de Hæreticis, ibidemque à Pontifice cum Concilio Viennensi damnatur. Ulterius adhuc procefferunt Anomæi, qui duce Eunomio, ut referunt Sancti Patres Nazianzenus, Chryostomus, Basilus, Hieronymus, & alii, Deum non videri tantum, sed etiam comprehendere ab intellectu nostro naturæ viribus in hac vitâ posse

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

asferbant. Parum etiam cautè locutus est Durandus, qui in 4. dist. 49. q. 2. docere videtur, posse animam nostram (si impedimenta sensuum, & conversio ad phantasmata, quod per separationem à corpore fit, tollantur) posse, inquam, sine ullo auxilio supernaturali Deum videre.

Veritas tamen Catholica est, neminem sine peculiari & supernaturali Dei auxilio posse videre Deum. Hac in re cum S. Thomâ hic q. 12. a. 4. & in 4. dist. 49. q. 2. a. 6. conspirant Theologi omnes, estque in Concilio Viennensi, loco numero præcedente citato, definitum. Quam etiam veritatem supra totâ Disput. undecimâ latè declaravi.

Non levis tamen, inter modernos præsertim Theologos, est controversia, sitne de fide dari in Beatis lumen aliquod per modum habitûs, seu qualitatis permanentis, per quam Dei visionem efficiant.

Durandus.

II. Deum videre naturali-ter nemo potest.

III. Sitne de fide dari lumen gloriæ per modum habitûs.

G

Asserunt